

buit enim totus populus purus & mundus esse. Hinc præcepta ciuilitatis dantur: vt de matrimonio: qui gradus legitimi & concessi sint, & qui prohibiti: adduntur pœnæ, secundum quas in transgressores sit animaduertendum. Postea de solennitatibus agitur: vt est Sabbatum, Pascha, Pentecoste, & similia sacrificiorum tempora. Vltimò agitur de votis quoque, quomodo ea Domino solui debeant, & quomodo aliqua etiam possint redimi. Itaque hic liber *καὶ δευτερονός* est. Instituitur enim populus, & ipsi quoque sacerdotes in rebus diuinis.

Partitio generalis quadrimembris.

Partes habet tres. Prima est *de sacrificiis* seu oblationibus: vt est 1. holocaustum. 2. mincha. 3. oblatio pacifica. 4. oblatio pro peccato ignorantia & negligentia. 5. oblatio pro peccato malitia. 6. oblatio initiationis. Producitur ea pars ad cap. 8. vsque.

Secunda pars, à cap. 8. vsque ad cap. 23 agit *de ipsis offerentibus*, qui duplices sunt: sacerdotes scilicet & plebei. Initiò ergò de sacerdotibus agit, de eorum consecratione, & de peccato Nadab & Abihu. 2. de toto populo. 3. de rebus quæ populum immundum reddere poterant: vt est cibus, conuersatio cum persona immunda, vt puerpera, leproso,